

DE TRANSITU VIRGINIS MARIAE<sup>1</sup>

2051

PG  
5, 1231

Cap. I. Melito, servus Christi, episcopus Ecclesiae Sardensis, venerabilibus in Domino fratribus, Laodiceae constitutis, in pace, salutem. Saepe scripsisse me memini de quodam Leucio, qui nobiscum cum apostolis conversatus, alieno sensu et animo temerario discedens a via iustitiae plurima de Apostolorum Actibus in libris suis inseruit; et de virtutibus quidem eorum multa et varia dixit; de doctrina vero eorum plurima mentitus est, asserens eos aliter docuisse, et stabiliens quasi ex eorum verbis sua nefanda argumenta. Nec solum sibi sufficere arbitratus est, verum etiam transitum beatae semper virginis Mariae Genitricis Dei, ita impio depravavit stylo, ut in Ecclesia Dei non solum legere, sed etiam nefas sit audire. Nos ergo, vobis petentibus, quae ab apostolo Ioanne audivimus, haec simpliciter \* scribentes, vestrae fraternitati direximus; credentes, non aliena dogmata ab haereticis pullulantia, sed Patrem in Filio, Filium in Patre, Deitatis et indivisae substantiae Trina manente persona; neque duas hominis naturas conditas; bonam scilicet et malam, sed unam naturam bonam a Deo bono conditam, quae dolo serpentis est vitata per culpam, et Christi est reparata per gratiam.

\*1232

Cap. II. Igitur cum Dominus noster et Salvator Iesus Christus pro totius saeculi vita confixus clavis, crucis penderet in ligno; vidit circa crucem Matrem suam stantem, et Ioannem Evangelistam, quem prae caeteris apostolis peculiarius diligebat, eo quod ipse solus ex ipsis virgo degeret in corpore. Tradidit igitur ei curam sanctae virginis matris Mariae, dicens ad eum: *Ecce mater tua*; et ad illam inquit: \* *Ecce filius tuus*.<sup>2</sup> Et ex illa hora sancta Dei Genitrix in Ioannis cura specialius permansit, quandiu vitae istius incolatum transegit. [...].

\*1233

1238

Cap. XVI. [...] Tunc Petrus, et alii apostoli dixerunt: Domine, praelegisti hanc ancillam tuam fieri immaculatum tibi thalamum, et nos servulos tuos in ministerium tuum. Omnia ante saecula prae-scivisti cum Patre, et Spiritu sancto, cum quibus tibi est una deitas, aequalis et infinita potestas. Sic ergo visum nobis fuerat famulis tuis etiam rectum esse; ut sicut tu, devicta morte, regnas in gloria, ita resuscitans matris corpusculum, tu tecum duceres eam laetam in coelum.

<sup>1</sup> Exstat inter spuria Melitonis (†195). Opus saec. v vel, probabiliter, ca 550. Cf. Lau 156; Qua I, 218; Al 65.

<sup>2</sup> Io. XIX, 26, 27.

Cap. XVII. Tunc Salvator ait: Fiat secundum verbum vestrum, et praecepit Michaël archangelo, ut animam sanctae Mariae deferret. Et ecce repente Gabriel archangelus revolvit lapidem ab ostio monumenti, et ait Dominus: Surge, amica mea, et proxima mea; quae non sensisti corruptionem per viri contactum, non patieris resolutionem corporis in sepulcro. Et statim surrexit Maria de tumulo, et benedicebat Dominum, et provoluta ad pedes Domini, adorabat eum, dicens: Non ego tibi condignas gratias possum rependere, Domine, pro impensis beneficiis tuis, quae mihi ancillae tuae conferre dignatus es. Sit nomen tuum, Redemptor mundi, Deus Israël, benedictum in saecula.

Cap. XVIII. Et osculatus eam Dominus recessit, et tradidit eam 1238  
angelis, ut deferrent eam in paradisum. Et ait apostolis: Accedite ad me. Et cum accessissent, osculatus est eos, et ait: Pax vobis; quoniam ego semper vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Et statim cum haec dixisset Dominus, elevatus in nube, receptus est in coelum, et angeli \* cum eo, deferentes beatissimam Dei Genitricem Mariam in paradisum Dei. \*1239

#### DE REBUS PERSICIS POST CHRISTUM NATUM <sup>1</sup>

2052 [...] Φθασάντων δὲ ἡμῶν εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα, τὸ μὲν σημεῖον ἅμα τῇ PG  
10, 105  
παρουσίᾳ ἡμῶν πάντας ἐκίνησε. Τί τοῦτο, φασί, Περσῶν σοφοὺς παρεῖναι μετὰ ἀστεροφανείας; [...]

Ἦλθομεν δὲ ἐνθα ἀπεστάλημεν, καὶ εἶδομεν τὴν γεννήσασαν καὶ τὸν γεννηθέντα, τοῦ ἀστέρος δεικνύοντος τὸ δεσποτικὸν βρέφος. Εἶπαμεν δὲ τῇ μητρὶ: Τίς καλῆ, περίφημη μήτηρ; Ἦ τις λέγει· Μαριάμ, δεσπότης. Εἶπομεν δὲ αὐτῇ: Πόθεν ὀρωμένη; Ἦ δέ· Ἐκ ταύτης, φησί, τῆς Βηθλεωτῶν χώρας. Εἶπαμεν δέ· Οὐκ ἔσχες ἄνδρα τινά; Ἦ δὲ φησί· Μεμνήστευμαι μόνον πρὸς γα-

2052 [...] Cum Ierosolymam venissemus, signum atque adventus PG  
10, 106  
noster universam civitatem commovit. Quid hoc, aiebant, Persarum sapientes adesse, simulque novam super ipsos stellam apparere? [...]

Tandem illuc, quo missi fueraus, pervenimus, vidimusque genitricem una cum genita ab ipsa prole, stella nobis Dominicum infantem monstrante. Diximus autem ad matrem: Quomodo vocaris, celeberrima mater? Quae ait: Maria, domini. Cui nos: Unde orta? Ad quod illa: Ex hacce Bethleemitarum regione. Habesne, inquietabamus, virum? Desponsata tantum sum, respondit illa, in speciem

<sup>1</sup> Exstat inter op. *Iulii Afr.* († 237), sed est opus apocryphum. Cf. Lau. 156.